

vel quas postea decrevisse vos aiunt, voluntatem seu iudicium tuum iusticię et pacis cupidi expectamus. Cetera referente hoc nuncio, quem in tuum servitium delegimus, sicut dulcissimam affabilitatem tuam novimus, solus audies. Mihi, pater omnium, peccatorum sorde polluto, qualibet impositionis pęna indulgentię manum porrige.

7.

Papst Paschal II. antwortet dem Bischof Wido von Chur, dass er treu den canonischen Decreten, seine Investiturbestimmungen zurücknehme. (1112, Ende des Jahres).

Pascalis famulus dei karissimo fratri W(idoni) cęlestium civium consorcium.

Dicit beatus evangelista Iohannes ¹⁾ 'qui natus est ex deo non peccat, quoniam semen ipsius manet in eo'. In me autem deus recens non est; sacri canones, quod adversus decretales constitutiones sanctorum patrum fit, nullius momenti esse ²⁾ sanxerunt. Quos amplectentes prioribus adheremus, posteriora penitus abdicantes. Itaque frater carissime ministerium tuum imple, opus fac evangelistę, ut dextera virtutis supernę protectus, salutem mentis et corporis consequaris, et de commissis tibi talentis audire ab ipso domino merearis: 'Euge bone serve et fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui' ³⁾. Omnipotens deus, qui te sua bonitate creavit, misericordia redemit, beatorum apostolorum suorum Petri et Pauli meritis te a peccatis omnibus absolutum ad gloriam felicitatis ęternę perducatur.

8.

Papst Paschal II. schreibt dem Bischof Wido von Chur über die Longobardischen Bischöfe, über den Patriarchen Ulrich von Aquileia und über die Bestrafung des R. (1112. 1113).

Pascalis episcopus servus servorum dei, venerabili fratri W(idoni) Curiensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Longobardicos episcopos ad regem ituros prius audieramus sed postea omnino destitisse audivimus. Nec ipsi autem nec alii per nos ad regem ituri sunt, nisi alia fortassis, quę omnino nos latet, gravis causa emergeret. Aquileiensis preter concessionem nostram pallio utitur Guibertino ⁴⁾. De R. autem illo, qui ecclesiam vestram persequitur canonicam iusticiam exere, quam ⁵⁾ nos sedis apostolicę auctoritate firmabimus. Quę minus literis continentur, legato tuo viva voce commissimus.

1) I. ep. Joh. III, 8. 2) esse fehlt Hs. 3) Matth. XXV, 21.
4) cfr. Uodalscalus de Eginone et Herimanno MG. SS. XII, 437 'episcopus Aquileiensis, qui abusive patriarcha vocatur sub pallio Wiberti haeresiarchae'. Von diesem Patriarchen wurde der später n. 17. 18. 19 mehrfach vorkommende Hermann von Augsburg consecrirt. 5) fehlt Hs.